Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.

Wien, 1794 Seite 2513

Quelle:
Copyright:

deat, quod a nemine obſervatum memini. Prooemium illi praemiſſum incipit: *Sicut dicit phylozophus in primo ethycorum, quod vnaqueque virtus in proprijs operacionibus delectatur* &c. Inter alia mox: *magiſter Reymundus frater ordinis predicatorum — hunc librum compoſuit ad informacionem eorum qui complete ſcientiam de iure non poſſunt habere.* Quam parum vero et iſte commentator rerum ſuarum certus fuerit, liquet e ſequentibus: *De cauſa efficiente dubitatur. quidam dicunt quod fuerit quidam verſificator et iuriſperitus qui noluit nomen ſuum manifeſtare ut vitaret arroganciam. Sed alij dicunt et melius quod fuerit magiſter Reymundus de Anglia.* De quo *Hiſpani* viderint. Textum porro integrum *Summae* apud eum ne quaere. Initia tantum Verſuum, in quos commentatur, adſcribit, omiſſo inſuper 14. Verſuum Praefamine, unde principium a verſu:

In ſummis feſtis ad miſſam dicitur una &c.

Finis: *Et completur hec ſumma iuris per raymundum edita pro pauperum iuvamine, ut habeant, quo ſe regere valeant. Pro cuius complecione ſummus opifex — ſit benedictus in ſecula ſeculorum. Amen.*

II. *fol.* 73. ſequitur manu Sec. XV. ut deinceps, in charta *Epiſtola beati Dionisij de morte ſanctorum Appoſtolorum Petri et Pauli ad Timoteum.* Meminit hujus Epiſtolae *Lambecius* L. III. p. 68. edit. *Kollar. col.* 187. item in *Diar. Itin. Cell.* p. 270. alibi autem, ut ait, de ea ſententiam laturus. At diu eſt, quod de univerſis *Dionyſio Areop.* tributis Scriptis ſententiam tulerint Viri doctiſſimi, in quorum Scriptorum cenſum vix inſuper venire audeat Epiſtola haec, cujus πρωτοτυπον graecum in caſſum quaeras, quaeque putidis fabellis ſcateat, puta de *Paulo* ante ſupplicium frontem et pectus cruce ſignante, de velo *Lemobiae Pauli* Diſcipulae, de *Pauli* capite a Paſtore quodam agnito, de *Fabellio* Romanorum Patriarcha &c. Dabo tamen ejus initium et finem: *Saluto te diuinum diſcipulum et filium ſpiritualis veri patris et boni amatoris, qui conſummaſti voluntatem magiſtri tui* &c. *Et ſciuerunt quod caput erat pauli immaculati qui fuit ſeruus et apoſtolus domini noſtri ieſu chriſti, cui detur gloria et laus — in ſecula ſeculorum. Amen.* Tria diverſis Codicibus Exempla in *Bibl. Caeſareu* ſervantur, nec tamen ejus mentionem apud *Fabric. Caveum, Oudinum*, alios invenio.

III. *fol.* 75. *Epiſtola*, ut e calce praeoccupo, *Clementis ad Jacobum fratrem domini.* Cum praecedens *Epiſtola* unice fere de morte *Pauli* agat, quidni adjungatur illi alia, quae *Petri* veluti Teſtamentum exhibeat. At haec ſaltem in publicum nota eſt, legiturque ſaepius edita, et nominatim unacum Exemplo graeco T. I. *PP. Apoſtolic. I. B. Cotelerii, Antverp.*